



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

15 Parochi sine causa, & licentia non residentes, quam poenam incurrant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

- non erit necesse illud Metropolitano renunciare, ad quem tamen cum concilio Provinciae spectabit judicare de licentiis à se, vel suffraganeo datis, & videre, ne quis eo jure abutatur, & ut pœnis canonicis errantes puniantur. *ead. c. 1. §. nam cum* † Parochis autem sine licentia in scriptis habitata, quæ gratis, & nisi ex gravi causa, ultra bimestre concedi non debet, & idoneo Vicario ab Ordinario approbato, qui parochiali ecclesiæ interim inserviat, cum debita mercedis assignatione deputato, abesse non licet. *eo. cap. 1. §. eadem omnino. ver. descendendi. sess. 23. & cap. 2. in fin. sess. 5. de reform.* † Nec aliter Ordinarii habent facultatem quavis ratione à residentia dispensandi. *congreg. conc. super eo. cap. 2. in decis. sub tit. Pistorien.* Causa enim studiorum dispensatio à residentia concedi non potest, cum hodie per concil. Tridentin. non admittantur ad parochiales, nisi qui per concursum magis idonei sunt iudicati, ut per sacram eöngr. sub die 22. Februarii 1590. fuit decilum, *ut in decis. super eo. cap. 1. §. congregatio censuit* † dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones in cathedralibus, aut collegiatis ecclesiis obtinentes ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse non possunt, salvo tamen earum ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitij tempus requirant. *cap. 12. §. hortatur. de refor. sess. 24.*
- † decreta autem à concil. Tridentin. edita super residentia in concil. Provin. & synod. diœcesana debent publicari & frequenter omnium auribus, mentibusque insigi, ut in posterum, Deo iuvante, nulla temporum injuria, aut hominum oblivione, aut desuetudine aboleantur. *eo. cap. 1. in fin. sess. 23* † Ex his enim causis nec potest quis abesse, nisi proviso, quod interim de absentium beneficiatoribus fructibus ita provideatur, quod propter absentiam ecclesia nullum patiatur damnum in divinis. *cap. 2. in fin. de reform. sess. 5. & prædicto. cap. 1. sess. 25. cap. cum ex eodem §. porro. de elect. in 6. & cap. beneficium de regul. cœn. lib.*
- Elapso termino † licentiæ concessæ, aut contra non residentes licentia non perita, nec impetrata per edictum publicum, servatis legitimis processibus, Ordinarius procedere potest, quacunque exemptione, & inhibitione etiam vigore Eugeanæ constitutionis non obstante. *dict. cap. 2. sess. 6. & cap. 11. sess. 24. de reform.* usque ad privationem inclusivè, dum tamen præcesserint trina edicta publica, & lapsi sint sex menses juxta *cap. extus. de cler. non resid.* Congreg. Conc. *super cap. 1. in ver. privationem. de reform. sess. 23.*
- Parochi † autem, qui sine causa & licentia absunt, mortalis peccati reatum incurunt, & pro rata temporis absentia fructus suos non faciunt, qui fabricæ ecclesiarum, aut in pauperum usus à superioribus sunt erogandi. *dict. cap. 1. §. si quis autem, sess. 23.* ac præterea moniti, nisi redierint, possunt jure privari. *cap. inter quatuor. & cap. fin. de cler. non resid. cum alijs supra allegatis.* Fructus autem † prædicti per ordinarium fabricæ ecclesiæ parochialis debent applicari, etiam si non indigeat, nec pauperes intra ejus limites reperiantur, cum tamen indies possit indigere, saltem quo ad paramenta, & alia ad ecclesiæ ornatum necessaria. *congregat. concil. super eodem cap. 1. sess. 23. in verb. fructus non residentium.* Et † cum prima, & præcipua debeat esse cura animarum